

quo eum scimus complexum esse, ut filiorum salutem confuleret, interpretationem earum Novi Testamenti particularum, quae publice solent, primis hebdomados cuiusque diebus et festis, enarrari. Sed longe maior me incessit multoque acrior admiratio, Auditores, quum cogito mecum, quanto religionis amore incensus flagrauerit, quanto eius defendendae propugnandaeque studio arserit, Camerarius; quanta in eo fulserit vitae integritas, quanta sanctitas morum et grauitas, ut magnitudo harum virtutum videatur etiam plurimum superasse excellentiam eruditionis. Ipse praedicat omnibus in libris, et ita praedicat, ut nulla simulationis suspicio videri subesse possit, principem omnium virtutum et quasi reginam esse pietatem aduersus numen diuinum sinceram; humanae sapientiae auxilio neminem posse peruenire ad felicitatis verae possessionem, cuius qui particeps fieri cupiat, eum se Christo tradere in disciplinam oportere; vitam potius profundendam esse, domumque et fortunas omnes relinquendas, quam deserendam prodendamque religionis castitatem; nullum denique cultum deo acceptiorem haberi et hominibus fructuosiore, quam preces, quarum ardore salus religionis assidue commendanda videatur curae prouidentiaeque diuinae. Floruit enim Camerarius non modo amicitia summorum sanctissimorumque Theologorum, Lutheri, Melanthonis, Iusti Ionaë, aliorum; sed etiam summa beniuolentia Georgii, Ioachimi, Alberti, Philippi, aliorumque, magnorum Principum neque minorum religionis Christianae statorum, gauisus est. Quibus sanctissimis Viris et Principibus, qui nulla re magis delectarentur, quam castitate et integritate religionis, quis sibi persuadeat, Auditores, carum probatumque esse potuisse

potuisse